

476 PARS ALTERA. DE ARTIS THEORIA.

viginti & duorum pollicum. Diameter minor decem. Fiat fornix ergo rotatione talis ellipsis supra axim seu diametrum, in distantia hujus diametri a craticula pollicum sedecim. Quando destillatio fit de hoc Furno, tum duo canthari cylindri figulini, undecim pollices alti, novem pollices lati, collo cylindrico quinque pollices longo, diametri trium & dimidii pollicum horizontaliter, & paralleli, sic accommodantur in hoc Furno, ut basis extremo innitantur margini in opposito pariete, atque ore suo paralleli sint aperturae destillatoriae. Tum cemento & lateribus circa colla cantharorum clauditur perfecte tota haec apertura. Ori canthari committitur segmentum cylindricum, & huic applicatur recipiens: Tali Furno excitari potest tantus ignis, ut sit prorsus incredibile. Tutus est, facile gubernatur. Omnis alimenti consumendi vim soli impendit materiae destillandae. Ope cinerarii facillime dirigitur.

Ceteri Furni.

Furnus docimasticus tam clare descriptus ab industrio, & candido, Lazaro Erckero, ut nihil addi queat. Idem & Georgio Agricolae tam accurate depictus, ibi videri potest.

Furnus autem cum Vesica, Alembico, Serpente, & Refrigeratorio, nimis notus ubique: ut ita satis me super his disseruisse credam finiens ita primam & secundam partem harum Institutionum Chemicarum.

